



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum conuenienter ordinentur, quæ circa hoc sacrificium dicuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

summum concludi præsentis sacrificio, & nõ communicantes peccare, qui tamen canones iam vim non habent, immo nec videtur vnquam fuisse obligatio communicandi singulis diebus, vel in singulis sacris. adde aliquos canones peculiariter agere de clero assistente sacerdoti in Missa solemnè.

Obiectio 5. Obiiciuntur 5. varij Patres, Ignatius epist. ad Smyrnenfes: *illa firma Eucharistia reputetur, quæ sub Episcopo fuerit & c. ubi Episcopus fuerit, illuc & plebs congregetur.*

Resp. id nihil ad rem facere, quia S. Ignatius solum improbat conuentus, qui sine Episcopi auctoritate & consensu aguntur, quales proprie sunt hæreticorum, & schismaticorum.

August. August. lib. 4. de Trinitate, cap. 14. verum sacrificium censet non posse ritè offerri, nisi per sacerdotem sanctum & iustum, & nisi ab eis accipiat quod offertur, pro quibus offertur.

Resp. August. nolle eos sacramentaliter participare de victimâ, pro quibus offertur, cum sciuerit hoc sacrificium posse offerri pro defunctis & pro absentibus, sed solum velle, quod cum in antiquis sacrificiis ij, pro quibus offerebantur, comederent de victimâ, quæ debebat esse sine vitio, id optimè quadret in nostrum sacrificium, in quo primarius offerens est immunis à peccato, & eius caro mundissima, quæ nos possit mundare pro nobis oblata, & à nobis sumpta.

Chrysost. Chrysost. homil. 3. in epist. ad Ephesios: *Frustra est quotidianum sacrificium, nemo est, qui participet. & infra: Quicunque enim est, qui mysterium non est participes, impudenter stat, & nimis audacter & c.* consimilia habet homil. 61. ad populum Antiochenum, sub medium.

Resp. ex dictis circa priorem conclusionem constare Chrysost. non censere Missas illicitas, in quibus solus sacerdos communicat, addo ea, quæ obiiciuntur, non dirigi ad sacerdotem celebrantem, ut patet, sed ad fideles, quorum negligentiâ arguit, quod videlicet cum etiam impure in Paschate communicent, non tamen communicent aliâs, si digni sint, eum oblatio sit quotidiana, de qua possint communicare si vellet, quod cum non faciant, videantur irrogare iniuriam conuiuatori, quæ modo oratorio dicta sunt ad redarguendam populi socordiam, & negligentiam.

Obiectio sexta ex Strabone. Obicitur 6. quod Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. in fine, requirat alios, qui communicent ad hoc, ut Missa censeatur esse legitima.

Resp. posse ita dici, si finem saltem secundarium spectemus, ad quem dirigitur sacrificium, scilicet, ut in eo conficiatur cibus animarum nostrarum, cum enim etiam ad illum finem secundariò statem ordinetur, dicendum carere aliquâ suâ perfectione, si nullus præter sacerdotem communicet, ob id tamen non sequi, quod talis Missa sit illicita.

ARTICVLVS IV.

Virum conuenienter ordinentur, quæ circa hoc sacrificium dicuntur?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, quod bene explicatur in Corpore videri possunt solutiones argumentorum: ideo verò tam multa ab Ecclesia addita sunt celebrationi huius mysterij, ut fideles ad maiorem deuotionem, & venerationem tanti Sacramenti excitentur, addita etiam sunt partim ad populi instructionem, partim ad gratiarum actionem, & ad Dei

laudes peculiariter huic sacrificio coniungendas, explicatio huiusmodi orationum videri potest apud eos, qui de ritibus ecclesiasticis scribunt, videri etiam potest Bellarm. lib. 2. de Missa, à cap. 16. vsque ad finem libri.

D V B I V M I.

Virum Missa debeat recitari lingua vulgari?

DEBERE contendunt hæretici nostri temporis.

Sed certâ fide tenendum est non esse necesse, patet ex Trid. sess. 22. can. vltimo dicente anathema ei, qui dixerit linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere, videri potest cap. 8. eiusdem sess.

Probat, Ecclesia ab antiquo sacrum Missæ officium linguâ aliquâ doctrinali celebravit, ut facile patet ex liturgiis, ergo signum est eam iudicasse conuenientius, ut Missa non celebraretur linguâ vulgari. 2. constat nihil circa hoc statutum iure diuino, Ecclesia autem in iis, quæ in sacramentorum administratione (adde & sacrificio) statuta non sunt, potest statuere id, quod conuenientius iudicauerit, ergo potest statuere, ut Missa non celebratur linguâ vulgari, sed certis quibusdam doctrinabilibus, idque est omnino decentius.

1. Vt aliquid fixum habeatur in sacri celebratione, si enim celebraretur linguâ vulgari, quæ sæpe mutatur, maxima interueniret varietas in celebratione Missæ. 2. si in singulis regionibus celebraretur linguâ patriâ vulgari, pauci omnino sacerdotes possent in alienâ regione celebrare, & proinde tolleretur Ecclesiarum communicatio cum maximo dispendio fidelium. 3. facit ad maiestatem sacrificij, quod linguâ doctrinali celebretur: nam si celebraretur populari, multi rudes, & plebei non capientes mysteria, & varios tropos orationum, & iudicantes de rebus iuxta suam intelligentiam, sacrum Missæ officium minoris facerent, atque ita diuinum hoc officium apud illos vilesceret.

Adde quod quæ in sacro Missæ sacrificio dicuntur, non tam dicantur ad populum fidelem erudiendum, quàm ad Deum orandum, & ad gratias ei agendas, quod optimè præstari potest etiam linguâ non vulgari. Paulus 5. à Patre Trigault intelligens aliam esse linguam litteratorum apud Sinenfes & aliam vulgarem, ei concessit ut sacrum posset celebrari linguâ litteratorum, quâ linguâ possent horæ Canonica recitari, ministrari Sacramenta, verti biblia, ut constat ex breui, quod incipit: *Roma sedis Antistes*, dato 27. Iunii, anno 1615.

Dices 1. quæ in Missa leguntur, etiam recitari ad populi instructionem, cum ergo non obiter ex alio capite, quo minus Missa celebrari possit linguâ vulgari, & ex hoc capite sit necesse eâ linguâ recitari, dicendum ita fieri debere.

Resp. neg. consequentiam, quia varia incommoda Responderent si Missa celebraretur linguâ vulgari, ut ostendimus, ad id quod adfertur de eruditione.

Resp. id posse, & debere suppleri per diligentiam Pastorum, qui, ut præcipit Trident. sess. 22. cap. 8. debent populum docere de iis, quæ in hoc mysterio leguntur, aliquid vel per se, vel per alios exponendos, quo fiet, ut longè melius sint percepturi ea, quæ in sacro leguntur, quàm si linguâ vulgari recitarentur.

Dices 2. maior deuotio excitaretur, si intelligerentur ea, quæ in sacro recitantur.

Resp.

Resp. 1. non minor excitari potest, neque minus potest in Deum eleuari, etiam si plebs promiscua non intelligat ea, quae recitantur, ut patet in plerisque; qui non minori cum deuotione legunt orationem Dominicam, vel Angelicam, septem psalmos &c. etiam si non capiant verborum sensum, quam ea intelligentes.

Resp. 2. licet in quibusdam ita contingeret, in plerisque aliter euenturum, qui minoris facerent ea, quae sibi viderentur intelligere, apud quos proinde haec diuina actio vilesceret, dum ex suo sensu metiretur ea, quae in sacro recitantur, possentque improbare ea, quae in suo idiomate audita minus caperent, ut necesse esset accidere in maximam populi multitudinem, quibus in eodem modo occurrere potest accurata explicatio eorum, quae in sacro recitantur, & geruntur. sic enim potest excitari populi deuotio, & ea quae recitantur, magni fieri, & iudicari esse plena maiestate, & ad Dei cultum maximè conducere.

D V B I V M II.

Utrum omnia in Missa clarâ voce sint proferenda?

ITa sentiunt haeretici, tum quia Christus consecrans clarâ voce pronuntiauit, tum quia factum est officium publicum.

Sed de fide est, non necessariò omnia clarâ voce debere pronuntiar. definitur in Trid. sess. 22. can. 9. ubi dicitur: *anathema afferenti Ecclesiae Romanae ritum, quae submissâ voce pars canonis & verba consecrationis proferuntur, dammandum esse.*

Probat, constat non esse iure diuino constitutum omnia clarâ voce in sacro recitari, cum neque ex scripturâ, neque ex Patribus, vel Ecclesiae sensu id habeatur: constat etiam non esse intrinsecè malum quodam in eo submissâ voce recitari, cum haec malitia neque peti possit ex naturâ orationis, neque ex ratione sacrificij, neque ex eo quod orationes sacrificio adiunctae sint publicae, cum non repugnet aliud esse, & ceteri publicum, quod non fiat publicè, sufficit enim fieri à publico ministro ad publicam vtilitatem, quod si neque ex diuino iure quidquam haec de re est statutum, neque ex rei naturâ est necesse omnia in sacro clarâ voce pronuntiar, non est quod negemus Ecclesiam potuisse constituere, ut aliqua submissâ voce proferrentur: cum ergo id constituerit, constat non omnia in sacro clarâ voce proferri debere.

Dices esse quidem in Ecclesiâ potestatem id statuendi, sed deesse causam.

Resp. 1. non debere Ecclesiam dampnari etiam si forte ignoremus rationes, quae illam mouerunt ad ita statuendum: si enim lex alicuius principis non possit prudenter improbari, quamuis rationem, & causam legis non possimus penetrare, multò minus improbari potest lex ecclesiastica, quamuis non possemus peruenire rationes Ecclesiae, nam est insolentis animi nihil iustum, & honestum putare, atque adeo cōuenienter factum, nisi id, quod probamus, & cuius manifestam rationem reddere possumus.

Resp. tamen 2. Ecclesiam suae constitutionis iustas causas habuisse, scilicet ut hac ratione fideles excitarentur ad rerum caelestium meditationem, ut docet Trid. sess. 22. cap. 5. dicens: *cumque natura humani ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli,*

propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissâ voce, alia uero clariores in Missa pronuntiantur, instituit. Plures adferri solent mysticae rationes, sed haec debet sufficere, cum ex ea appareat Ecclesiam habere congruam rationem suae constitutionis. Confir. haec varietas multum potest iuuare deuotionem.

Dices in Ecclesiâ Græcâ omnia videntur clarâ voce pronuntiar, & peculiariter verba consecrationis, ut patet ex responsione populi post verba consecrationis dicentis Amen.

Resp. 1. inde quidem sequi non esse illicitum, per se loquendo, omnia clarè pronuntiar, & Ecclesiam Græcam posse habere iustas causas, cur ita faciat in consecratione, non tamen sequi non posse aliter institui, seu non idcirco Ecclesiam Romanam prohiberi, quo minus iustis de causis potuerit constituere quaedam submissè proferri.

Resp. tamen 2. etiam in Ecclesiâ Græcâ quaedam submissè proferri à sacerdote, ut patet ex liturgia Chrysost.

Ad ea quae initio allata sunt Resp. ad prius ex facto Christi nihil concludi: quemadmodum enim non sequitur, Missam non posse manè celebrari, eo quod ille hoc Sacramentum vesperi instituerit, & ita de multis alijs circumstantijs, ita non solidè concluditur verba consecrationis non debere submissâ voce proferri, cum possit subesse iusta causa ita statuendi. adde inter actionem Christi & nostram inueniri discrimen, & inueniri circumstantiam in Christi actione, propter quam moraliter loquendo debuerit verba consecrationis clarè proferre, quod scilicet Apostolos doceret, quâ verborum formâ deberent consecrare, quae circumstantia in nostra consecratione non reperitur. nihil ergo vetat, quo minus verba consecrationis submissè proferamus, quamuis Christus Dominus ea clarè protulerit.

Ad posterius dico officium dici posse publicum, quamuis non omnia, quae in eo recitantur clarâ voce pronuntiantur, quia scilicet sit à publico ministro, & ad publicam vtilitatem.

D V B I V M III.

Utrum sacerdos teneatur in sacro recitare ea, quae in Missali praescribuntur?

Resp. affirmatiuè, quia semel constituto Missae officio non potest vnusquisque pro arbitrio aliqua omittere, & communis Doctorum sententia tenet esse graue peccatum aliquid notabile omittere. quid autem censeatur notabile, ita ut eius omissio sit mortalis pendet ex prudentis iudicio. meritò debet ceteri graue omittere epistolam vel Euangelium, vel oblationem, vel etiam collectas, & quamuis facilius omissio eorum, quae recitantur in canone, sit grauis, non videtur tamen probanda sententia eorum, qui vniuersim censent quamlibet omissionem in canone esse mortalem, etiam vnus verbi, id enim est nimis rigidum, & etiam in illo potest inueniri paruitas materiae.

Porro non tantum voluntariè, vel etiam ex negligentia aliquid omittere est peccatum, sed etiam aliquid addere orationibus, & alijs ab Ecclesiâ praescriptis, quod declarat Trid. decreto de obseruandis in Missa, sess. 22. dicens: *ne ritus alios aut alias caeremonias & preces in Missarum celebratione adhibeamus praeter eas, quae ab Ecclesiâ probatae, ac*

Aaa

frequentis

Obiectio altera.

Resp.

Satisfactio gementis Haereticorum.

Officiū dici potest publicū, licet non omnia clarè pronuntietur.

186.

Est graue p. omitt. ere epistolam vel Euang. &c.

Nō quēuis omissio in canone est mortalis.

Est peccatū aliquid addere. Tridens.

frequenti & laudabili usu recepta fuerint. idem statuit Pius 5. in diplomate præfixo Missali Romano, ubi mandat, ac districtè omnibus, &c. in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt &c. Missam iuxta ritum, modum, ac normam per Missale ab eo traditam decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias ceremonias, vel preces, quàm eo in Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.

187.

Coroll. 1.

Mortale est si notabile quid addatur.

Ex quibus patet 1. sacerdotem non posse pro sua deuotione nouas preces addere, vel alia verba, & si hoc voluntariè faciat, vel ex culpabili incuriâ, peccare, idque iuxta capacitatem eius, quod additur, scilicet mortaliter, si res addita sit notabilis. quod cum in omnibus sacri partibus locum habeat, tum peculiariter intelligendum de precibus adiectis in canone, quia grauius est aliquid ibi addere, & multò grauius erit peccatum, si id quod additur sit prophanum, & alienum à diuino cultu.

Probabiliter, qui nō intenderet addere officio, sed pro sua deuotione secretè recitaret, non peccaret mortaliter.

Aduerte aliquos censere, si sacerdos non intendat aliquid addere ipsi officio, sed tanquam priuata persona pro sua deuotione orationem secretè recitet, eum non peccaturum mortaliter, quod est satis probabile.

Patet 2. per diploma Pij 5. citatum, sacerdotes in sacri celebratione debere iuxta modum, & normam Missalis Romani recitare, nec posse quemlibet pro suo arbitrio sacrum facere secundum aliud Missale.

Coroll. 2.

Excipiuntur Ecclesiæ, quæ per ducentos annos continuò alijs Missalibus vsæ sunt, quibus permittitur, vt eorum vsum possint retinere. patet ex diplomate; illæ tamen proportionem debent secundum ritum, & normam sui Missalis (si illud retineant) sacrum celebrare, & sacerdotes secundum illum vsum celebrantes non possunt pro arbitrio aliquid precibus in tali Missali ordinatis demere, vel addere.

188.

Peritio.

Cap. Quidam, Can. Hoc.

Petes, vtrum, prætermisso sacro diei assignato, liceat aliud celebrare? Aliqui censent non licere, quod videtur probari ex cap. *quidam*, de celebratione Missarum, & ex can. *Hoc*, de consecratione, dist. 1.

Resp.

Sed dicendum id licere. patet ex praxi quotidiana timoratorum, qui Missas celebrant diei non assignatas, immò videmus sacra pro defunctis celebrari etiam festis diebus, & aliquos obligari ex fundatione ad certa sacra celebranda.

Qui obligatur ad certa sacra, potest in festis recitare sacrum diei assignatum.

Aduerte tamen eos, qui consimiles habent obligationes, posse in festis recitare sacrum diei assignatum, quia decentius est se accommodare solemnitati diei, sacrum de ea recitando, quàm aliud: verbi gratia, in die Natiuitatis &c. decentius est sacrum facere de die, quàm de defunctis, vel aliquod votiuum, & si quis tali die peteret fieri sacrum de defunctis vel votiuum, sacerdos satisfaceret, dicendo sacrum de die, vt communiter Doctores, quia huiusmodi petitiones priuatorum intelliguntur, si possint impleri in specie, saluâ decentiâ, & nisi per hoc nimium recedatur ab vsu Ecclesiæ. vnde qui ex fundatione Capellanæ tenetur speciale aliquod sacrum dicere, satisfaciunt obligationi diebus festis sacrum diei recitando, vt si quis ex fundatione debeat recitare sacrum defunctorum sextâ quaque feriâ, suæ obligationi satisfaciunt, si sacrum diei Natiuitatis in eam feriâ incidentis faciat, & ita de alijs festis, similiter de Dominicis.

Si sit feria, sacerdos ex promissione, vel fundatione, vel aliunde obligatus certam Missam celebrare, debet illam recitare: hinc qui debet recitare Missam de defunctis, si commodè eam possit dicere, suæ obligationi non satisfaciet aliam celebrando, quia orationes Ecclesiæ ab ea peculiariter instituta, & quæ eiusdem nomine fiunt, ad veniam defunctis impetrandam, ad hoc sunt efficaciores, quàm alia.

Ad cap. *quidam* Resp. ibi, non prohiberi simpliciter & absolute, ne quis aliud sacrum, quàm de die audiat, vel possit celebrare, sed redargui quorundam consuetudinem, qui videbantur certas Missas quouis die ex superstitione audire, & statui, vt si tales velint Missas sibi cantari, illas de die audiant. can. & hoc, nihil ad rem facit, quia in eo non prohibetur celebrari aliud sacrum, quàm de die, sed statuitur, ne Missæ peculiare, id est, priuata, quæ diebus solemnibus fiunt, impediatur, quo minùs populus possit diebus solemnibus ad publicas conuenire.

His adde, quòd nisi iusta causa subsit, consulendum sit vt sacrum conueniat officio, & celebrati diei, vt passim notant Doctores, quod longè potiori iure est intelligendum de Missâ solemnâ, quàm de priuata.

ARTICVLVS V.

Virum ea quæ in celebratione huius Sacramenti aguntur sint conuenientia?

AFFIRMAT.

Notandum hæreticos nostri temporis etiam improbare ceremonias adhiberi solitas in celebratione Missæ.

Sed de fide est eas nullo modo reiiciendas, vt patet ex Concil. Trident. sess. 22. can. 7. adde eas magnopere facere ad deuotionem, & reuerentiam populi excitandam erga hoc sacrificium, pleraque etiam adhiberi, vt hoc sacrificium peragatur cum eâ, quâ par est, modestiâ, reuerentiâ, & honestate: alias per se primò esse institutas ad exercendos exteriores actus latræ; alias ad representandam aliquo modo Christi actionem: alias denique propter mysticam significationem. videri potest S. Thomas, & plures alij, qui de ritibus ecclesiasticis scribunt, item Bell. lib. 2. de Missâ cap. 15, & Suarez disp. 85. sect. 1.

Circa hunc articulum notandum 1. dicta superiori articulo, dubio 3. de precibus, posse in præsentia quoad ceremonias applicari, scilicet ceremonias ab Ecclesiâ præscriptas non posse sine peccato voluntariè vel ex negligentia omitti, & in ea omissione inueniri graue, vel leue peccatum iuxta conditionem ceremoniæ, quæ omittitur: quòd si ceremonia solum pertineat ad ornatum, & quædam decentiam, vix erit mortale vnam vel alteram omittere: si verò specialem habeat significationem, communiùs est mortale illam omittere. Voluntaria etiam additio, aliarum ceremoniarum est peccatum. videri potest Trident. sess. 22. decreto de euitandis in Missâ, item diploma Pij 5. Missali præfixum. immò additio noui ritus faciliùs est mortalis, si enim fiat tanquam pertinens ad publicum ministerium, vix excusabitur à mortali, secùs tamen, si solum misceatur ex priuatâ deuotione non tanquam pertinens ad officium Missæ.

Notandum